

his fave dictis! retegenda vita est
 vatis Etrusci modo, qui perenne
 Romulae voci decus adrogavit
 carmine sacro:

VITA VERGILII.

- 25 Maeonii specimen vatis veneranda Maronem
 Mantua Romuleae generavit flumina linguae.
 quis facunda tuos toleraret Graecia fastus,
 quis tantum eloquii potuisset ferre tumorem,
 aemula Vergilium tellus nisi Tusca dedisset?
 30 huic genitor figulus, Maro nomine, culter agelli
 ut referunt alii tenui mercede locatus,
 sed plures figulum. quis non miracula rerum
 haec stupeat? dives partus de paupere vena
 enituit: figuli soboles nova carmina finxit.
 35 mater Polla fuit Magii non infima proles,
 quem socerum probitas fecit iam clara Maroni.
 haec cum maturo premeretur pondere ventris,
 ut solet in somnis animus ventura repingens
 anxius e vigili praesumere gaudia cura,
 40 Phoebei nemoris ramum fudisse putavit.
 o sopor indicium veri! nil certius umquam
 cornea porta tulit. facta est interprete lauro
 certa parens onerisque sui cognoverat artem.
 consule Pompeio vitalibus editus auris